



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Flores Directorii Inqvisitorvm**

**Bariola, Luigi**

**Mediolani, 1625**

Consilivm Vigesimvmprivm.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11434**

**R**espondetur, quod indubitati Iuris est, Petrum omnino teneri ad restitutionem omnium pecuniarum sub hoc titulo receptarum, quia per professionem Ius disponendi, ac dispensandi, tum alia quacunque bona siue mobilia, siue immobilia acquiritur Prelato Religionis. Cap. non dicatis. 12. q. 1. & ibidem Canonistæ. Cap. Monaci de statu Monac. & cap. Quida eodem titulo. Concil. Trid. sess. 25. cap. 3. Cap. Abbates 18. q. ultima. Et quāuis Regularibus liceat habere aliquid cum licentia Prælati, id tamen intelligitur quò ad usum simplicem facti, prout fuit declaratum in Concilio Lateranense. Cap. Monachi, de statu Monachorum & cap. insinuante, qui Clericum, vel Monachum: Obstat quoque Bulla Clem. VIII. de Largitione munerum, Nauar. de hoc abundè comm. 2. de Regularibus. Neque sub titulo eleemosinæ sine Prælati licentia potest Regularis aliquid elargiri. Nauar. ubi supra num. 8. & ita sentio &c.

---

## CONSILIVM VIGESIMVM PRIMVM.

**A**n Regularis Sacramentum Eucharistiæ ministrans Laicis absque licentia Parochi, sit eo ipso excommunicatus.

**V**idetur dicendum, quod sic primò, quia sic statuitur in Clementina prima de Priuilegijs, & excessibus priuilegiatorum. Secundò, quia huius sententiæ videtur Martinus Nauarr. in Manuahii Confessariorum cap. 21. num. 52. Attamen contrarium tanquam certum credendum est; quia licet in Clementina recitata excommunicentur eo ipso Regulares

gulares Sacramentum Eucharistiae sine licentia Parochi ministrantes; nihilominus intelligitur de ijs, qui hoc non habent ex priuilegio sanctae Sedis: at Mendicantes omnes id agere possunt ex priuilegio Leonis X. Pauli IV. & Pij V.; nimirum, ut quotidie sacram Communionem dare possint Christifidelibus solo die Resurrectionis Domini Nostri excepto. Ita Nauarrus loco supra citato. Ita Capuccinus in Compendio priuilegiorum Mendicantium, ver. Communicare, cum eiusdem annotatione.

Nec dicatur Mendicantium priuilegia per Gregorium XIII. fuisse reducta ad terminos Concilij; nam respondetur Concilium super hoc puncto, nihil, aut statuisse, aut innouasse; sed tantum Christifideles monuisse ad tanti Sacramenti frequentationem, prout habetur sess. 13. cap. 8.

Accedit, quod stylus Urbis, & Orbis ita docet, & suadet; nec aliquando fuit dubitatum, an id Regularris ipsi liceret; siquidem non est credendum, quod Ordinarij locorum, usque ad haec tempora siluissent.

Adde, quod ad incurrendam censuram Clementinae huius requiritur praesumptio, & dolus, quia si quis ex ignorantia, credulitate, aut bona fide id ageret credendo, quod Parochus bono animo id acceptaret saltem quo ad forum conscientiae, pro ut mihi supponitur in casu, non incurreret: Ita Cardinalis in recitata Clement. quest. 38. & ita Nauarrus in Manuali Confessorum cap. 27. num. 101. saluo &c.